



I, 16.



I, 16.

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
CHRISTIANVS  
HANACCIVS

DIGESTI VETERIS PROFESSOR PVBLICVS  
ORDINARIVS CVRIAE PROVINCIALIS SCABI-  
NATVS ASSESSOR ATQVE ACADEMIAE ET ORDI-  
NIS IVRECONSULTORVM SENIOR  
HVIVSQVE H. T. DECANVS

INSTITVTVM  
IO. GOTTFREDI WACHSMYTH

KEMBERGA SAXONIS  
LL. AA. M. ET THEOL. C.  
III. ID. OCTOBR. A. R. S. CIO IO CC LXI.  
HABENDA

PVBLICE ORATIONE  
LEGI LIBERALITATIS THIELEMANNIANAE  
SATISFACTVRY  
C I V B I B S

COMMENDATA  
\*\*\*\*\*  
*Praemititur Antiquitatum Germaniae Specimen V. I.  
de originibus Saxonis I.*

VITEBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLOR EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS.

**D**ilata originum Alamannicarum et limitis Raetici, quem transrhenanum Romani vocabant, circum agros decumates acti, inuestigatione, donec libri, quem requirimus, copiam nanciscamur, oculos ad maiores nostros Saxones interea conuertamus, quorum historia, si non alia quoque luce indigeret, commentis certe fabularum liberanda erit, ne cum SPANGENBERGII, LETZNERIS, FABRICIIS, plane ad chaos quoddam redigamur, aut cum eruditioribus etiam per interrupta et praecipitia feramur. Illud satis constat, gentem hanc, quando Romanis primum innotuit, aliunde et trans oceanum aduenisse. Nam nec dum TACITO nota fuit, (nisi corruptis forte codicibus utimur) cuius Fosi contra CLYVERII coniecturam longe aliis in terris, quam quas hi ab initio infederant, quaerendi sunt, siquidem eorum, quae deinceps considerabimus, rationem habueris. Nobis id liquet, si CORNELII huius, scriptoris et circa peregrina exactissimi, vel SCHEIDII, V. Ill. ingratis, aetate Saxones ad continentem Germaniae iam adpulerant, non alios esse ipsos, quam aut *Auiones*, aut *Suardones* certe, qui ab illo *Anglis* et *Varinis* proximi memorantur suspicari liceret. Et est utroque in nomine, quod hodie codices seruant, probabilis diuinatio, ob litterarum similitudinem, de tali scriptura, quam se- quiores librarii adsecuti haud fuerint. Accedit, quod TACITI lucidissima narrata de situ regionum,

num, quas istae nationes tunc obtinebant, tabula  
subiicere sub oculos cuiuslibet non sit difficile, mo-  
do linguae Latinae et moris veterum historicorum  
in narrando haud sit ignarus. Sane ista crimina-  
tio, quasi de parum compertis scribere sit ausus,  
omnium est durissima, et cui aliquando, vbi deus  
dederit otia, in singulis occurremus. Hic ni-  
hil aliud agemus, quam quod ad praesens institu-  
tum pertinet. Tacitusne ipse in Germania fuerit,  
quod multi negant, hic non quaeremus. PLINIVM  
superiorem in Germania expeditionibus, quibus re-  
giones, de quibus agimus, facillime noscerentur,  
interfuisse nisi Boeoto et crasso sub aëre natus, ne-  
gavit in hunc diem nemo, qui eius volumina legit.  
TACITVS (Germ. c. XXXIV.) Frisios vtrosque *am-  
bire immensos lacus et Romanis classibus nauigatos* re-  
fert; PLINIVS, qui libros bellorum Germaniae, du-  
dum perditos scripserat, et quem TACITVS pro-  
fecto legerat, de finitimis Chaucis ea memorat,  
quae hodiernus dies confirmat, et quibus ipse  
interfuit. (Hist. Nat. l. XVI. c. l.) Ob quae  
profecto, de TACITI fide aut prudentia dubi-  
tare, insanientis fuerit, si vel ex morbo sapi-  
entiae. Argumentum ab inuidia plane, sed  
non sine imperitia tamen ductum, ob res Iudaeo-  
rum, nunc nihil moramur, quia alio tempore eidem  
plenissime satisfacere certum est. Hoc vnum hic  
monemus de Iudaeis ipsum res ex aliis referre, vt  
reperit; nihil tanquam satis compertum, adfirmare.  
):( 2 Infini-

Infinite dici pro scriptore grauiſſimo poſſent, et eius  
fide nihil certius, quia Germani hodie non alii ſunt  
ingeniis, moribus, inſtitutis, quam quos is deſcrip-  
ſit; ſi modo quis, iudicium interponere audens, ſatis  
praefidiorum ex hiſtoria, morum et iuris priſci co-  
gnitione, et grammatica Teutonica, adferre queat.  
Sed nihil tribui poſtulabimus coniecturis, circa ea  
ſolum, quae dubitatione carent, ſolliciti. Primum  
huius gentis, ſcriptorem antiquum et quantiuis mo-  
menti, facere mentionem nominatim nouimus Cl.  
PTOLEMAEVM, ſi modo incorruptis exemplaribus  
eius hodie vti liceret. Sed quae inter gentes, vr-  
besque, (quod nimis lepidum) Germaniae, in iſtis  
Sibyllae foliis enumerantur, ne centeſima quidem  
pars conſentit cum aliorum, longe certiorum, au-  
thoritate. Ex quo infinite in locis interpolatio ad-  
paret. Ipa nomina et vocabula tam barbarum  
ſonant, vt perſuaſus vi veri iudicare poſſis, e ſe-  
quorū aetatis Graeculis famelicis aliquem hunc  
centonem fuiſſe alicui, a quo mercedem exſpecta-  
bat. Itaque miſcenda fuerant cuncta, et vocabula  
nec dum audita conſingenda; in vniuerſa tamen  
deſcriptione orbis tot indicia emendicatae, et in-  
de ad miraculum corruptae, notitiae deprehenſa  
iam ſunt, vt de interuallis locorum nihil dicamus,  
vt peritis rerum nihil plus taediū creare queat, quam  
PTOLEMAEI inconfulta mentio. Leguntur hu-  
ius PTOLEMAEI, qui vetus ille vulgo credi ſolet,  
(Geogr. l. II. c. XI.) quae ad noſtra haec perti-  
nent,

nent, et de quibus nil amplius, quam quod noti-  
tiae ab aliis acceptae vestigia manent, praedicare  
licet, quum certiora aliunde sint petenda. Ponit  
vero ibi Saxones in angusto spatio Chersonesi Cim-  
bricae, qua continenti, id est litori ab occidente  
Frisico, ab oriente Baltico, coniungitur. Graeci  
vocabulum artis adhibent, a similitudine humanae  
ceruicis, ut dicant eiusmodi angustiore[m] terram  
*ἀνχεν*. Qui longe exactior in situ terrarum di-  
metiendi deprehenditur, neque multum aetate in-  
ferior geographo Alexandrino est, MARCIANVS  
HERACLEOTES (in Periplo p. 52. 53. ed. Hudson.)  
haec eadem de sedibus in continente tradit, in de-  
signandis vero insulis, quas, et ille narrat ostio Al-  
bis oppositas, longe accuratiore mensura usus.  
STEPHANVS autem, quem Byzantinum vocant,  
(v. *Σαξωνες*) haud dubie erravit, quod ipsa in  
Chersoneso hos posuit, quam ab aliis gentibus in-  
fessam nouimus. Cur vero aliunde eam in terram  
trans mare aduectos statuamus, e Romanorum  
notitiis haec argumenta habemus. TACITVS, ut  
praediximus, ac PLINIUS nondum norant, ne-  
que coniectura nostra de *Auionum* aut *Suardonum*,  
corrupto nomine satis confidimus. Haud diu post  
hunc PTOLEMAEI et MARCIANI aetate ma-  
gnam continentis partem cum tribus insulis iam ob-  
tinebant, inter validas gentes, quod fieri non po-  
tuisset, nisi mari iam multum potuissent. Hoc ve-  
ro ipsum abunde testantur, quae ex CLAVDIAE

NO, LATINO PACATO, AMMIANO, SIDONIO,  
aliis, occasione litoris Saxonici, adferemus. Re  
nautica nihil eas per oras ignotius TACITI acuo  
fuisse, ostendunt, quae de Frisiis, Chaucis, Cimbris,  
Anglis, Varinis, tradit; et ipsa id PLINII de Chau-  
cis narratio satis confirmat, quia suis tribunalibus et  
casulis adhaerere hi forte noluissent, si classibus ten-  
tare mare didicissent. Quid? quod Gannascus trans-  
fuga primus e suis Canninesatibus secum adtulisse  
vsum leuium nauigiorum et lintrium ad Chaucos  
videtur, vt ex eodem TACITO (Annal. l. XI.  
c. XVIII.) cognoscimus. Ita vix erit dubitan-  
dum, populum excursionibus piraticis tam me-  
tuendum Germaniae, Britanniae, Galliae litori-  
bus, aliunde aduenisse, et in mediterraneis inter  
Cimbros et Sueuos, Albis et orae adhuc Balticae  
accolas, subactis et ad suum corpus pertractis na-  
tionibus infirmioribus, sedem cepisse. Quod de  
Sueuis posuimus, confirmare haud leuiter videtur  
nomen, quod apud PTOLEMAEVM, e vetusto, vt  
coniicimus scriptore, superest, *Σαβαλλυγιων*, Sa-  
xonibus in Chersoneso proximorum, ortum forte  
e mentione *Συηβων Ἀλβιγγιων*, per librarii aber-  
rationem. Nam nomen Sueuicum late istis in tra-  
ctibus patuit, vt in mediterraneis, id est, ad se-  
ptrionalia Albis fluiui, simili confusione memoria-  
rum vetustiorum in eodem PTOLEMAEO Saxoni-  
bus ibidem subiiciuntur *Συηβοι Ἀγγελοι*. Huius  
generis adpellationes, conflatae e communium  
origi-



originum, institutorum vitae, sedium, regionum, fluminum, et gentium iisdem addictorum, notatione, infinitae occurrunt in historia maiorum nostrorum, ut in persequendis rebus Saxonum posthac exemplo Nordalbingorum, Nordosquauorum, Nordiuellorum, Nordiludorum, planum faciemus. Satis cito vero, postquam in notitiam venerunt Saxones, in societate Pictorum, Scotorum, Attacottorum, piraticae deditissimorum, litora Britanniae et Galliae infestauerant, ut testis est locupletissimus AMMIANVS (l. XXVI. c. IV. p. 495. ed. Gronou. et l. XXVII. c. VIII. p. 593.) Et iam antea Carausium, maria infestantes, exercuerant iisdem in oris, auctoribus EYTRONIO (l. IX. c. XIII.) et AVRELIO VICTORE; (de Caes. c. XXXIX.) qui Germanos illos vocat, haud alia sane causa, quam quod in continenti iam Germaniae, ut ex Ptolemaeo et Marciano cognouimus, confederant. Ista vero cum populis transmarinis coniunctio quid aliud arguet, quam vetustam notitiam et excursionum per septentrionis maria societatem? Inde autem nihil propius fidem, quam ex ultimis Scandinaviae oris, quibus hodie Norwagia est, prodiisse; cui rei etiam similitudo morum atque linguae, in vetustissimis Nordmannis, quos historia nouit, argumento est. Ipsae quin leges antiquae Normanniae Gallicae, quas LVDOVICVS (T. VII. Rel. MSS.) edidit, institutis Saxonice non minus, quam uocabulis, plene, id ipsum clarius adprobant. Scriptores hinc dome-

domestici antiquissimi MEGINHARDVS (Bibliothecae Goetting. hist. T. I. p. 3. et apud Adam. Brem. l. l. c. IV.) atque VITECHINDVS (l. l. p. l. c. d. Herwig.) recte quidem trans mare ipsos aduenisse, e vetustatis memoria, inter minores vteunque seruata, tradiderunt; sed quod ille e Britannia, hic vero ex Macedonia vsque, in Hadeloam transgressos putarunt, adsignandum est corruptioni acui fabulosi, et illa, quae praemisimus, nos forte ad verum, veluti ad fontem, deducet. De insulis illorum variis nominibus, et primis expeditionibus, vbi rursus occasio offeretur, vberius exponemus.

Nunc commendandus vestrae, CIVES, beneuolentiae et studiis est, IO. GOTTFREDVS WACHSMUTH, *Kembergga Saxo, LL. AA. M. et SS. Theol. Cultor. praenobiliss.*, qui ex lege instituti Thielemanni III. Id. Oct. orationem publice habebit, de viris litteratis, quos DANIEL, scriptor sacer, stipendia in regno Nebuchodonosoris meruisse, memorat. Quantum ergo honori litterarum tribuetis, et tribuere VOS plurimum inter omnes constat, frequentes aditis, atque huic oratori, cuius ab ingenio, moribus, atque studiis, decora nostis, pro elegantia et humanitate VESTRA faueatis.

P. P. Vitebergae A. R. S. CIO CCC LXXI  
Id. Oct. 1771

T. 2972

ULB Halle  
007 441 851


3



40







Farbkarte #13

B.I.G.

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
CHRISTIANVS  
HANACCIVS

DIGESTI VETERIS PROFESSOR PVBLICVS  
ORDINARIYS CVRIAE PROVINCIALIS SCABI  
NATVS ASSESSOR ATQVE ACADEMIAE ET ORDI  
NIS IVRECONSVLTORVM SENIOR  
HVIVSQVE H. T. DECANVS

INSTITVTVM  
IO. GOTTFREDI WACHSMYTH

KEMBERGA SAXONIS  
LL. AA. M. ET THEOL. C.  
III. ID. OCTOBR. A. R. S. CIO IO CC LXI.  
HABENDA

PVBICE ORATIONE  
LEGI LIBERALITATIS THIELEMANNIANAE  
SATISFACTVRV  
C A I V I B V S  
C O M M E N D A T .

Præmititur Antiquitatum Germaniæ Specimen V. I.  
de originibus Saxonibus I.

V I T E B E R G A E  
PRELO EPHRAIM GOTTLOR EICHSELDI  
ACADEMIAE A TYPIS.